

at ait S. Augustinus, epist. 54 ad Lucil.: « Injuriarum remedium est oblivio. » Jansenius hæc cepit de solis principibus, non quasi illi hic moneantur nullam injuriam vindicare, sed non ornem, quia principibus multa dissimulanda sunt.

Sic Cicero, ait S. Augustinus, epist. 5 ad Marcell., Julio Cæsari, « mores ejus extollens, dicebat quod nihil oblivisci soleret, nisi injurias. Dicebat autem hoc tam magnus laudator, tam magnus adulator; sed si laudator, talem Cæsarem noverat; si autem adulator, talem esse debere principem ostendebat, qualem illum fallaciter prædicabat. » Et Seneca, lib. De Ira, laudat Catonem, qui in balneo percussus, « postea satisfaciendi: Non memini, inquit, percussus me; melius putavit non agnoscere, quam ignoscere. Nihil illi post tantam petulantiam mali factum, imo multum boni. » Aureliani Imperatoris symbolum erat teste Vopisco: « Quo major, eo placabilior. » Unde Bithyniam capiens cæde abstulit. Vere Memander: « Existimandus ille præstantissimus, injurias qui ferre novit plurimas. » Exemplum dat regem apud Seneca lib. I De Clementia: « Noluit, ait, illum natura, nec sævum esse, nec ultionem magno constituram emere, telumque detraxit (rex apud enim caret aculeo), et iram ejus in mem reliquit; exemplum hoc magnis regibus ingens est. » Denique adeo regium est ignoscere, ut Saul, hostis Davidis, ex eo quod sibi David in spelunca pepererat, certum regni ejus omen acceperit: « Et nunc scio, inquit, quia certissime regnaturus sis, et habiturus in manu tua regnum Israel. » I Reg. xxviii, 21. Imo S. Chrysostomus, homil. 41 in Acta, audeat dicere: « Non ulcisci, Deo facit æqualem. »

Verum esto principibus maxime, omnibus tamen indifferenter loquitur Siracides, vetatque omnibus ultionem injuriæ, quatenus ea privata est; nam, quatenus publica est, et rempublicam læsit, principes possunt, imo tenentur eam vindicare, nisi majus malum timeatur. Sapientes ergo injuriam sibi factam scribunt in pulvere, quia illius statim obliviscuntur; gratiam vero scribunt in marmore, quia ejus jugiter recordantur, ut gratias agant; superbi vero et insipientes maleficia scribunt in marmore, beneficia in pulvere, quia illorum sunt memores, horum obliviosi. Unde Aristoteles, rogatus « quid cito senesceret, » respondit: « Gratia; » « quid tarde? » respondit: « Injuria, » teste Laertio lib. I, cap. iii. Præclare Beda in Proverbiis: « Gloriosus, inquit, est injuriam tacendo tolerare, quam respondendo vindicare. Sagittas contumeliæ virtus repellit patientiæ. Qualis apud se quisque latet, illata contumelia probat. Infeliciores sunt, qui faciunt, quam qui patiuntur injuriam. Melius est bene vinci, quam male vincere. »

Jam Syrus ita vertit, nectitque sequentibus: In omni vitio tuo ne lædas amicum tuum, et ne ambules in via delicatiorum, vel superbiorum. Ab omnibus

peccatis et mendacio elongare, et ne ambules in via superba, quia odibilis est coram Deo, et coram hominibus superbia; et adversus utrumque (superbiam et mendacium, puta, fraudem et injuriam) rapina et fraus.

Porro hæc maxime spectant ad principes, de quibus sermo præcessit et sequitur. Hi enim injuriarum privatarum debent esse immemores, nihilque per injuriam insolenter agere, ut propriæ cupiditati satisfaciant; hoc enim est tyranni. Qua de re vere ex Salomone et Hebræis, Plato lib. I De Rep.: « Tyrannicum, ait, est illud omne dicere justum, quod ad potentioris utilitatem pertinet; item, subditos principis vel magistratus utilitati esse destinatos. Tyrannicum est dicere principem legibus esse solum: publica utilitas et salus debet esse scopus magistratui propositus. » Idem, lib. VIII: « Ex monarchia fit tyrannis, cum rex contempta legum auctoritate, quidvis agit pro animi sui libidine. » Et lib. IX: « Tyrannica ingenia semper improbissimis adulantur, alicui serviunt, inquieta vivunt, furiis et cruciatibus conscientiarum torquentur. Denique sunt prorsus infelicia ac misera, quæcumque vitæ lætitiæ simulent, aut præ se ferant. Tyrannus quantumvis felix est, bono rege, quantumvis infelice, miserior septingentis viginti novem partibus, id est, infinitis modis. » Idem, lib. I De Legibus: « Civile bellum (quod ex injuriis, quæ civibus et subditis a principe inferuntur, conflatur) peregrino est periculosius, ac proinde ad civile restinguendum bella externa suscipere expedit. » Et inferius: « Etiam victoriæ ipsæ sunt sæpe ipsis quoque victoribus funestæ et Cadmææ. Itaque bella minime optanda, vel ad ea respublice componenda. »

Platoni magistro astipulatur discipulus Aristoteles, lib. V Polit. cap. x et xi, ac lib. IV, cap. x: « Tyrannus est, inquit, qui omnia ad suam utilitatem, vel libidinem vindictamque animi explendam refert. Reges a civibus custodiuntur, tyranni ab extraneis. Reges amant suos cives, et ab iis amantur; tyranni eos oderunt, imo ipsosmet suos satellites metuunt. Reges sublevant subditos tributis, quantum possunt; tyranni eos onerant, ut exhauriant et opprimant. Reges nobilitatem regni, et viros bonos alunt, fovent et conservant; tyranni et nobiles et bonos viros, vel vi, vel clam tollunt. » Sic et Isocrates ad Nicoclem: « Ama, inquit, eos quibus imperas, et effice ut ab iis vicissim ameris. Amor populi diuturni imperii est fundamentum. » Plinius quoque in Panegyrico ad Trajanum: « Bonus princeps, ait, cum civibus, velut cum liberis suis versari debet. Affabilitas principis, virtus maxima. Principis fidelissima custodia est ipsius innocentia. Tyranni est, quidquid habet quisque subditus amplum, egregium, pulchrum, occupare et sibi detinere. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest. » Seneca: « Nihil, ait, gloriosius principe impune læso. » Q

pluribus egregie idipsum persequitur, lib. I De Clementia. cap. xix et xx. Meminerit princeps quod, cum omnes apes aculeum habeant, solus rex earum illo careat.

SECUNDA PARS CAPITIS.

DE NOXA SUPERBIÆ.

7. ODIBILIS CORAM DEO EST ET HOMINIBUS SUPERBIA: ET EXECRABILIS OMNIS INIQUITAS (ἀδικία, id est, injustitia) GENTIUM. — Tangit hic radicem mali, puta injuriæ, nimirum superbiam; ex superbia enixa oritur injuriæ ultio, injustitia, contumelia omnisque iniquitas; unde contra eam deinceps agit, eamque dissuadet novem rationibus, quas in synopsi capituli recensui. Sensus ergo est, q. d. Ne memineris injuriæ proximi, nec eam per talionem simili injuria ulcisci velis, quia hæc memoria et ultionis appetitus oritur ex superbia, quæ exosa est Deo et hominibus, æque ac « omnis iniquitas gentium; » quia scilicet gentes atheæ, Deum vindicem non metuentes, superbe et acerbè injurias sibi illatas ulcisci solent, imo ultro injuriis alios lacessere, conviciando, spoliando, rapiendo, occidendo; ideoque Deus regnum de gente in gentem transfert propter injustitias, ut sequitur.

Posterior versus pars in Græcis variat. Quidam enim legunt, ἡ ἀμφοτέρων πλημμελῆσαι ἄδικα, id est, ea utrisque delinquet injusta, q. d. Per utramque (injuriam, scilicet, et superbiam) multa injusta ab impiis committuntur. Alii: καὶ ἡ ἀμφοτέρων πλημμελῆσαι ἄδικα, id est, ea utrisque delictum injustitiæ. Ita Complutenses; quod, licet eodem sensu jam dicto accipi possit, potest tamen et alio, q. d. Ex utrisque, scilicet Deo et hominibus, puta ex sensu et judicio communi, tam Dei, quam hominum, odibile (hoc enim repetendum est) pariter est peccatum injustitiæ. Unde Tigurina vertit, et utrisque facinus injustum avertantur; quæ versio cohæret et concordat cum Vulgata. Accedit et Syrus, qui vertit, adversus utrumque rapina et fraus; et Arabicus: Quoniam odibilis est superbia apud Deum, et apud homines simul, et super his omnibus ira et crudelitas, vel oppressio, q. d. Deus avaritiæ et superbiæ congruam apposuit et opposuit pœnam, rapinam et fraudes, ut sicut avari et superbi aliena rapuerunt et fraudarunt, sic et ipsi ab aliis diripiuntur et fraudentur.

Ratio cur superbia, et ex ea prognata injustitia et avaritia, Deo et hominibus sit exosa, est quod hæc duo vitia turbent et evertant omnem rempublicam. Unde sequitur: « Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, » etc. Aliam rationem dat S. Gregorius XXXIV Moral. cap. xviii, quod omnes actus et gestus superbi sunt odibiles: « Cunctis namque, inquit, superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, fu-

ror in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna; ad ea quæ facere et debet et prævalet, ignava; ad ea autem quæ facere nec debet, nec prævalet, parata. » Quam vero sit odibilis hominibus, inquit Palacius, « docet humilitas ipsis gratissima, et illud:

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Ut sit maxime mirandum, quod adeo superbiam odiamus in omnibus, maxime tamen eam admittamus in nobis. Sed interim, quod superbi sumus, inde maxime declaratur, quia aliorum superbiam minime ferimus, aliorum subjectionem maxime desideramus. Hæc igitur superbia nostræ causa est, cur ita odiamus alienam; Deus vero odit superbiam, quia ipsa omnis peccati initium est. » Rationem a priori dat S. Ambrosius in Psalm. cxviii: « Deus, inquit, tanquam suæ contumeliæ propulsator, quoddam velut suscipit adversus superbiam speciale bellum, tanquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit; mihi debetur ista congressio. » Et S. Hieronymus, epist. 45 ad Antonium: « Vide, frater, quale malum sit, quod adversarium habet Deum. » Superbus ergo quasi ad duellum provocat Deum; sed stulte, nam illico a tanto duellatore sternitur, uti prostrati sunt Nabuchodonosor, Antiochus, Holofernes, Aman, Herodes, etc. Quin et Seneca in Hercule furente: « Sequitur, inquit, superbus ultor a tergo Deus, » ut inopinantes dejiciat. Quocirca sapienter monet Prudentius in Psychom. humilitatis et superbiæ:

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum;
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:
Disce supercilium deponere.

Merito ergo exclamat S. Bernardus: « O doxa, ait, sapiens, in millibus mortalium nihil aliud quam aurium inflatio vana, et tamen quantum putas infelicitatem hæc ipsa non tam vana vanitas, quam vana felicitas parit! Hinc namque cæcitas cordis, sicut scriptum est: Popule meus, qui te beatificant, in errorem te inducunt. Hinc cervicosus furor animositatis, hinc suspitionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, et cremantis invidiæ miserior quam miserabilior cruciatus. »

Porro superbia maxime insidiatur principibus, utpote qui sublimes cæteris eminent gradu, et sæpe nullum nisi Deum superiorem agnoscunt. Quocirca Justinianum Imperatorem demissionis admonens Agapetus Diaconus in *Admonit.*, num. 19: « Si honore, inquit, qui ab omnibus profiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem; nihil enim adeo attrahit ad benevolentiam, ut beneficii gratia, quæ detur indignis; quod enim ob metum præstatur obsequium, fucata figurataque est adulatio, fidei honoris titulo fallens eos qui ipsi animum advertunt; » et num. 21: « Essentia corporis æqualis est cuilibet Imperator, potestate autem dignitatis cunctorum præsidi Deo; non enim habet in terris se quemquam altiorem. Oportet igitur ipsum ut Deum non irasci, ut mortalem non efferri. Nam, etsi effigie divina honoratus est, at pulvere tamen terreno connexus est; quo edocetur, ut erga omnes servet æqualitatem; » et num. 23: « Talem te præsta tuos erga famulos, qualem optas erga te Dominum esse. Prout enim audimus, audiemur; et ut respicimus, respiciemur a divino cunctaque obtuente conspectu. Priores igitur nos misericordiæ misericordiam conferamus, ut pari par recipiamus; » et num. 71: « Fastuosus et superciliosus homo, ne ut taurus alticornis elevetur; sed animadvertens carnis subsistentiam, sedare debet cordis tumorem. Nam, etsi factus est princeps in terra, ne tamen ignoret sese ortum ex terra, quam ex pulvere ad solium conscendere, atque in pulverem tandem descendere possit; » et num. 68: « Imperator ut est omnium dominus, ita cum omnibus Dei servus existit. Tum igitur demum vocabitur Dominus, cum ipse sibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur; cum adjutricem piam rationem assumens, invictam, scilicet, imperatricem animi perturbationum rationis expertum, indomitas cupiditates armatura castimonie debellabit. »

Basilius Imperator, *Exhort. ad Leonem filium*, cap. xiv: « In te propitium si Deum habere vis, inquit, ipse subjectis tuis esto propitius; nam et si aliorum dominus constitutus es, ipse tamen etiam servus es. Dominum enim habemus universi, eum videlicet, qui rerum omnium dominationem manu tenet; totius autem humani generis unus et idem auctor et propagator est, nempe, limus terræ, etiamsi alius pulvis adversus alium intumescimus. Tu igitur, qui nunc sublime elatus pulvis es, memento, quantumcumque modo emineas, futurum aliquando ut ad terram deprimaris; ita nunquam adversus humiliorem pulverem animo effereris. Recordare peccatorum, quæ adversus Deum commisisti; ita fiet, ut facile obliviscaris peccatorum proximi adversum te. »

8. REGNUM A GENTE IN GENTEM TRANSFERTUR PROPTER INJUSTITIAS ET INJURIAS, ET CONTUMELIAS, ET DIVERSOS DOLOS. — Græce *χρηματα δόλια*, id est, pecunias dolosas, hoc est, dolo et fraude partas;

item, quæ homines dolosos faciunt: sicut mors dicitur pallida, quia pallidos facit; et fossa cæca, quia inspicientium aciem sua profunditate et caligine hebetat, et quasi excæcat. Nonnulli tamen cordices expungunt τὸ δόλιον, id est dolosas; sic et Syrus: *Regnum*, inquit, *de populo ad populum mutatur propter peccata et superbiam et divitias*, quibus hostes et vicini inhiant; Arabicus: *Nam abstrahitur regnum de gente, ac traditur aliis propter peccata et elationem. τὸ nam dat causam, vel potius indicium et effectum odii, quo Deus prosequitur superbiam et superbos tyrannos, q. d. Deus eos odit, nam eos privat regno. Porro, regna transferuntur « propter injurias et injustitias, » tum quia illa propter has juste punit, et translatione muletat Deus; tum quia ipsæ gentes injuriis his affectæ eas ulturæ armant se, omnesque vicinos concitant ad arma communia tyrannis, qui omnibus adeo infesti et injurii sunt, inferenda: ut Persæ injuriis affecti ab Assyniis, eos spoliarent monarchia: sic et Persas Græci, et Græcos Romani.*

Vere Plato, lib I *De Republ.*: « Omnis, inquit, felicitatis fons est justitia; infelicitatis autem mater injustitia; » idem, lib. X: « Deus humani generis curam gerit. Itaque justos principes beatum in hac, tum in futura vita; injustos autem utrobique punit. »

Porro *injustitia*, græce *ἀδικία*, id est vis, qua aliena occupantur, aut retinentur contra jus et leges. *Injuria*, græce *ὑβρις*, est procacitas, petulantia, insolentia. *Contumelia* est convicium vel probrum jactum in alium. *Doli* sunt fraudes. Igitur, cum hæ quatuor iniquitates in aliqua republica, civitate, vel regno abundarint, scito eam proximam esse ruinæ et translationi; nam, ut canit Seneca in *Thyeste*:

Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Et Plutarchus, lib. *De Doct. princip.*: « Scripserunt, ait, et docuerunt (Philosophi) absque justitia principatum gerere, nec Jovem quidem ipsum posse. » Nimirum, « justitia firmatur solium, » *Proverb.* xvi. Et Valerius Maximus initio lib. IV: « Si demum penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile steterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæque cupido sibi vindicaverit. » Nam, ut ait Lactantius lib. I *Divin. Instit.* cap. IV: « A quibus abest studium lueri, abest etiam voluntas peccandi et causa fallendi. »

Audi S. Augustinum lib. V *De Civit.* cap. XIII, recensentem et laudantem verba Catonis, de modo quo crevit et decrevit Romanum imperium: « Nolite, inquit, existimare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus; quippe sociorum atque civium, præterea armorum et equorum, major copia nobis quam illis

est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim sibi quisque consilia capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis. Eo fit ut impetus fiat in vacuum rempublicam. »

Quamobrem ab injuria dehortatur, ac ad justitiam et beneficentiam adhortatur Justinianum Imperatorem Agapetus Diaconus num. 44: « Inexhaustæ ait, sunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquiruntur et dissipando colliguntur. Has tuo insitas animo habens, munificentissime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te. Infinitæcuplas enim pro tuis habeas remunerationes, cum tempus reddendi vicem venerit; » et num. 47: « Tutissimam arbitrare salutis tuæ custodiam, nulla quemquam ex subditis afficere injuria; qui enim offendit neminem, suspicioni habet neminem; qui, si nulla quemquam afficere injuria tutelam conciliat, longe beneficiis collatis magis id præstabit; nam, ut tutelam exhibet, ita charitatem non prodit. »

S. Ludovicus non tantum per judices a se constitutos, sed et per se bis publicæ causas pauperum audiebat, easque illico ex justitia decidebat. Idem moriens Philippo filio, inter alia, hoc monitum testamenti reliquit: « In administranda justitia sis rectus et severus, et ita ut leges præscribant, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens; pauperum querimonias non rejicias, donec veritas innotescat. Si quis adversum te habet querelam vel controversiam, semper ab illo stes contra teipsum, donec rem certam comperias. Si quid possideas rei alienæ, etiam id acceperis a majoribus tuis, incunctanter restituas justo possessori, ubi certo tibi constiterit; sin autem dubia res est, cura ut viri sapientes accurate et sine mora inquirent. Bellum, præsertim adversus quemlibet Christianum, sine multo consilio vide ne suscipias. Si necessitas cogat suscipere, Ecclesias et insontes nullo patiaris damno affici. »

Basilius Imperator, *Exhortat. ad Leonem filium*, cap. xxx: « Præstantissimus, ait, medicorum ille est, qui accommodatas cuique morborum generi novit adhibere curationes; et rex optimus, qui eos instituit magistratus, qui a suis subjectis omnem injuriam arcere ac propulsare queant. Sicut enim equisonis virtus propria est, equi cujusque nosse præstantiam; et venatoris, intelligere quantum quisque canum cursu valeat ad persequendas feras; ac imperatoris, milites suos cognoscere, et quisque eorum qua fortitudine sit, perspectum habere, ut in instruenda acie intelligat,

quo quemque loco debeat collocare: ita boni regis est, subditorum suorum mores, animos, actus et sententias perdiscere, ut de singulis edoctus, unumquemque sciat suo ordine disponere; ac pravos quidem et pestilentes homines a republica extorres ejicere; probos autem et veritatis amantes, honoribus et publicis muneribus præficere. » Idem, cap. LXII: « Lectissimam esse regni tui coronam statuito. innocentiam et bonam conscientiam, qua te magis meliusque exornabis, quam sexcentis aliis ornamentis. Divitiæ, infidæ quædam res, et quæ facile dilabuntur; gloria transit, robur corporis flaccidit, voluptates diffiunt; sola innocentia et boni mores in multas ætates protenduntur, et memoriam nominis æternam transmittunt ad posterum, quibus virtutem tuam æmulandam, quasi pharmacum adversus mala omnia relinques, eosque et laudatores et imitatores tuæ administrationis efficies. »

9. AVARO AUTEM NIHIL EST SCELESTIUS. — Complut. *φιλαργίρου γὰρ οὐδὲν ἀνομιώτερον*, id est, avaritia enim nihil est iniquius. τὸ enim dat causam præcedentium, q. d. Ideo propter avaritiam, indeque natas rapinas et injustitias transferuntur regna, quia nihil avaritia est iniquitas. Noster idem innuit per τὸ autem, q. d. Regna transferuntur, quia avara sunt et injusta, æque ac superba; avaritia autem nihil est scelestius. Igitur illa summe exosa est Deo et hominibus, qui proinde eam cum suis regibus et regnis puniunt et exscindunt. Rursum transferuntur propter superbiam, quia superbia odibilis est Deo et hominibus: « Quid enim superbit terra et cinis? » q. d. Ideo tam exosa est superbia, et superbus, quia plane indignum est ut homo tam vilis, qui non est aliud quam terra et cinis, velit se extollere, imo æquare Deo.

Quæres, quomodo avaro nihil sit scelestius, cum alia peccata, ut homicidium, superbia, odium, hæresis, magia, sint scelestiora. Resp. Avaritia proprie est immoderatus amor pecuniæ: hunc enim significat græca vox *φιλαργία*. Hic autem, esto sit nimius, per se est peccatum veniale; mortale enim fit per aliud, si, videlicet, propter eum fiant rapinæ, usuræ, sacrilegia, omittatur Sacrum, aliudve præceptum violetur, ita ut lædatur religio, justitia, aut etiam charitas: ut si neget pauperi in gravi necessitate eleemosynam, ut tuas opes conserves et augeas. Cum ergo hic dicitur: « Avaritia nihil est scelestius, est hyperbole significans avaritiam esse rem valde scelestam. Sic per exaggerationem dicere solemus: Vino nihil est dulcius: Auro nihil fulgidius: Hoc homine nihil doctius; id est, vinum est valde dulce, esto mel sit dulcius; aurum est valde fulgidum, esto carbunculus sit fulgidior; hic homo est valde doctus, esto nonnulli sint doctiores. De sola tamen avaritia hic dicitur, quod sit valde scelestus, vel, ut græce est, *iniquus*. Primo, quia avaritia est injuria Deo; nam ei præ-

fert aurum, adeoque illud suum facit idolum; unde avaritia ab Apostolo *Ephes.* v, 5, vocatur idololatria, et avarus idololatra. Quid ergo ea scelestius? Huc facit, quod Gentiles Jovem vocarint pecuniam, quod Jupiter pecuniæ, et per illam rebus omnibus dominetur. « Sed nimirum, inquit S. Augustinus lib. VII *De Civit.* cap. XII, hoc avaritia Jovi nomen imposuit, ut quisquis amat pecuniam, non quemlibet Deum, sed ipsum regem omnium sibi amare videatur. » Unde idipsum redarguens subdit. « Qualis ergo est ista Theologia, ubi rex deorum ejus rei nomen accipit, quam nemo sapiens concupivit? Quanto enim facilius, etc. Deus mundi rector non ab eis pecunia, sed sapientia vocaretur, cujus amor purgat a sordibus avaritiæ, hoc est, amore pecuniæ? »

Secundo, quia avaritia injuria est reipublicæ: illam enim implet usuris, furtis, fraudibus, litibus, seditionibus, cædibus. Quocirca Hebræorum discipulus Plato, lib. V *De Legibus*: « Nimis opes, inquit, reipublicæ noxiæ; ex illis enim insolentia, dissidia, et immanis voluptatum fœdissimarum usus et luxus oritur. » Unde idem, lib. IV: « Mediocritas, ait, melius tuetur rempublicam, quam nimis opes. » Ac rationem subdit: « Divitiæ nimis socordem efficiunt rempublicam et superbam. » Unde Lyncurgus prædixit tamdiu Spartam constituram incolorem, quamdiu cupidus opum exularet; illa vero grassante, evertendam. Et verus fuit vates.

Tertio, avaritia injuria est ipsi avaro, quia mentem ejus creatam ad fruendum Deo, inficit, polluit et deprimit ad fruendum auro, imo dejicit ad tartara. Nam avarus animam suam auro vendit diabolo et tartaro, uti dicitur vers. 10. Unde S. Thomas II, *Quæst.* CXVIII, art. 5: Nihil, ait, est iniquius avaro, non ratione aversionis a Deo, uti est odium, sed ratione conversionis: quia, scilicet, convertitur ad pecuniam, illique se subjicit, quæ inter creaturas est ima et vilissima. Et Palacius: Avarus, inquit, non tantum Deo et proximo, sed et sibi ipsi est nequam, quia se defraudat rebus ad victum et vitam necessariis, ut pecunias congerat; qui sibi autem est æquam, cui bonus? Avarus ergo dicere deberet cum S. Paulino: « Domine, non exerucier propter aurum et argentum; ubi enim omnia mea sint, tu seis; » et cum Psalte *Psal.* xv: « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei; tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. » Quocirca Vener. Beda in *Sententiis* aureas has de avaritia assignat gnomas: « Febris corporis calor: febris animi libido et avaritia. »

Imperat, aut servit collecta pecunia cuique.

Pecuniæ imperare oportet, non servire. Quis dives? qui nil cupit: et quis pauper? avarus. Avarus propriæ est causa miseræ, ingerens sibi sitim avaritiæ. Avarus nihil recte facit, nisi cum moritur, » ut pauperibus, vel liberalioribus suas opes

relinquat. « Avaritia semper odiosos, largitas charos facit. Avaritia desideratis opibus non exstinguitur, sed augetur. »

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Egens æque est is, qui non satis habet; et is, cui copia nulla sufficit. »

Quarto, avaritia injuria est pauperibus, imo quod omnibus hominibus, quos defraudat, decipit, expilat, tum per usuras, fraudes et iniquos contractus; tum quia frumentum, vinum, oleum, quæ creata sunt ad pauperum communemque hominum usum, ipsa sibi appropriat et reservat. Vera S. Bernardus, serm. 21 *in Cant.*: « Avarus terrena esurit, ut mendicis; fidelis contemnit, ut dominus: ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. » Nam, ut ait Aristoteles I *Polit.*: « Amor divitiarum crescit in infinitum. »

Quinto, avaritia injuria est ipsi auro effrugibus. Bonum enim et quasi felicitas auri et frugum est, ut serviant communi hominum usui et necessitati; ad hoc enim creata sunt a Deo. Avarus autem hoc fine, usu et fructu ea privat, cum ea in horreis et arcis recondit, ibique sinit putrescere, corrumpi, et a fineis vermibusque comedi, juxta illud *Jacobi*, cap. v, vers. 2: « Divitiæ vestræ putre factæ sunt, et vestimenta vestra a fineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. » Vide quæ ibidem dixi. Quocirca S. Chrysostomus, homil. 37 *ad Populum*: « Avarus, inquit, factus et reipsa dicit: Rodat tineæ, et non comedat pauper; absumat vermis, et nudus non induatur; omnia tempore consumantur, et Christus non pascatur, licet esuriat. Et S. Salvianus, lib. I *ad Eccles.*: « Avaro nihil est scelestius: quid enim pejus, inquit, quam si præsentia bona in futura mala convertat? » Hoc facit avarus, dum per avaritiam, fraudes, injurias, quibus sibi opes comparat, colligit sibi miser incendia gehennæ, quibus in æternum conflabit. Emit ergo sibi tot opibus, tot laboribus, tot injuriis infernum, cum longe facilius cælum emere potuisset.

Sexto, avaritia injuria est omnibus elementis, cælis et creaturis, quia particulas terræ, quæ omnium elementorum est ima et vilissima, præfert cæteris rebus omnibus, adeoque ipsi cælo empyreo. Quid enim est aurum et argentum nisi terra alba et rubra? ait S. Bernardus. Quid sunt vestes bombycinæ et sericæ, nisi vermium, puta bombycum, excrementa? Quid sunt uniones, nisi concharum quisquiliæ? Quid sunt gemmæ, nisi terræ lapides, imo lapilli, quibus vana hominum æstimatio dat pretium? Quocirca Seneca in *Proverbiis*: « Monstro, inquit similis est avaritia. » Et Cicero I *Offic.*: « Nihil, ait, tam angusti animi, tamque pravi, quam amare pecuniam. » « Avarus, ait Babanus, extrema primis, et vilissima ante-

ponit pretiosissimis. » Porro aurum et opes dicuntur res vilissimæ, non præcise, sed vulgari modo loquendi, quia sunt inter vilissimas. Nam alioqui pomum v. gr. vetitum, quod comedit Adam et Eva, ac se suosque perdidit, vilius est auro.

Septimo, avaritia injuria est omnibus legibus (unde pro scelestius, græce est ἀνομότερον, id est, magis exlex, magis contra leges) et omnibus virtutibus, quia ipsa impellit ad violandas quaslibet leges et virtutes, estque causa omnis injustitiæ et peccati, juxta illud I *Timoth.* vi: « Radix omnium malorum est cupiditas. » Ita Isidorus, lib. II *De Summo bono*, cap. XLI. Et hoc maxime hic spectat Siracides; dat enim causam cur regnum a gente in gentem transferatur propter injustitias: quia, inquit, avaritia nihil est scelestius; græce, magis exlex et iniquius. Hinc Arabum exstat proverbium *Centuria* 1, num. 89: « Non est justitia cum avaritia, » quia difficile est justum simul et avarum esse; id maxime verum est in principibus, de quibus hoc loco agitur: hi enim, si avaritia laborent, totum regnum expilant et perdunt.

Præclare S. Leo, serm. 9 *De Passione*: « Videte, ait, quales fructus de avaritiæ radice nascantur, quam merito Apostolus radicem omnium malorum esse definiit; quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, et omnis appetitus illicitus istius aviditatis est morbus. Amore pecuniæ vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, et tam stulte impius fuit, ut triginta argenteis et Dominum venderet et magistrum. » Vide Cassianum lib. VII *De Institut. remant.* cap. vi, ubi avaritiam nuncupat receptaculum vitiorum, malorum omnium radicem, et inextricabilem nequitiae fomitem.

Hanc gnomen illustri apologo corvi et vulpis elucidat Cyrillus lib. III *Apologorum moralium*, ap. i. Corvus enim optans ditari, modum quesivit a vulpe. Cui illa: « Totum, inquit officium ditescendi in tribus assiduis vitis, et in uno continuo tormento consistit, videlicet in insatiabili cupiditate, in inquieta rapacitate, in illiberalitate continua, et in timore perpetuo. Hæc enim sunt instrumenta artis ditescendi, scilicet semper cupere: cum enim cupiditas deerit, mundanæ divitiæ minorantur; sed ubi semper hæc aderit, augetur. Minorato siquidem appetitu, caro macrescit; et eo addito, mox resarcita pinguescit. Nam ob hoc excessiva oneratur pinguedine porcus, quia inextricabilem patitur appetitum. Alterum vero ejus officium est, undecumque et quomodocumque rapere; propter hoc enim æstivo tempore cum plurimi fluvii deficiant, Nilus auctus fines suos transgreditur: quoniam undecumque contingit humiditas, vi caloris rapientis hauritur. »

« Quid est, nihil unquam donare. Ex quo nam-

que sursum altissimæ arbores rapiuntur, nisi quia foris minime in fructum effunduntur? atque ideo intestinum cavum semper est vacuum, eo quod chili, mox cum susceperit, sit effusivum. Ultimum vero est, timore sollicito semper parata servare. Plures etsi non datis, negligentia tamen perditis divitiis caruerunt. Audax enim pavo caudam auream perdidit, et pavidus lepus propriam pellem custodivit. » Unde concludens, paucis avaritiæ mala omnia oculis subjicit: « Hæc igitur, frater mi, oportet diligenter servare, si mundi hujus divitiis cupis acquirere. Scilicet, ut sis semper cupidus illas affectando, violentus in rapiendo, avarus in servando. » Ubi hæc corvus audivit, digestam sententiam protulit: « O certe infelicissimæ paupertatis fallaces divitiis mundiales, et omni cum studio sapienti detestandas! utpote quarum dilectio cupiditas est, acquisitio rapacitas, possessio illiberalitas, et conservatio timiditas est horrenda. Sed quid cupiditate scelestius? quid rapacitate iniquius? quid illiberalitate deformius, et timiditate molestius? sperno de cætero immoderatas divitiis Cresci, et Assueri opum magnalia, et aurea scuta repudio Salomonis. Meæ vero divitiæ sint, sine cupiditate quietum, sine rapacitate justum, sine illiberalitate benignum, absque timiditate securum me possidere. »

QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS? — *q. d.* Intolerabilis est homuncio, qui superbit, cum sit terra et cinis; ac proinde non mirum, si ob avaram injustitiam et superbiam regna transferantur, uti jam dixi. Hæc enim spectant ad vers. 7: « Odibilis coram Deo et hominibus est superbia. » Palacius tamen hæc refert ad avaritiam, quæ proximæ præcessit; næc enim in principibus oritur ex superbia. Ideo enim congerunt immensam vim divitiarum, quia nihil suæ magnitudini et celsitudini credunt esse satis: unde his sapienter opponit pulverem, ex quo factum est corpus, et per cinerem representat avari peccatoris animam; sicut enim extincto igne manet cinis sine luce, splendore et vita præcedenti: ita extincta charitate manet anima, velut cinis, sine gratiæ vita et splendore. Hæc Palacius partim litteraliter, partim mystice. Sic et Lyranus? *Quid superbis ex tuis divitiis*, inquit, *pulvis et cinis* » id est, qui es cito in cinerem redigendus: litteraliter enim pulvis et cinis ad corpus spectant: suntque idem: sed junguntur ad exaggerationem, et quia hominiformatus est ex pulvere, desinit in cinerem. Cinis enim est residuum rei corruptæ, uti ligni combusti residuum est cinis. S. Hieronymus, lib. XII in *Isaiæ* cap. XLVIII, pro *superbit*, legit *gloriatur*. « Quid gloriatur, inquit, terra et cinis, et ignorat fragilitatem suam? » Idem in cap. II *Joëlis*: « Si eruca, inquit, parvusque vermiculus fortior est homine, quid gloriatur terra et cinis, et elata per superbiam (cum ex humo sit, a qua homo appetatur) humana contemnit? »

Aliqui codices Græci hanc sententiam præponunt, sicque neclunt: *Propter injustitias, et injurias, et contumelias, et dolos, quid superbis, terra et cinis? Alii postponent et jungunt versui 13: Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. Et sane cum illa recte cohæret. Unde Syrus ita neclit et vertit: Quid superbit pulvis et cinis? in cujus vita vermes serpunt, latera ejus et intestina ejus medicus scindit. Hodie ambulat, et cras moritur. Sic et alias subinde sententias transponit, alicque loco collocat Græcus, Syrus et Arabicus. Idem subinde contingit in Proverbiis Salomonis. Cum enim sententiæ hæc ethicæ, utpote variæ, in variis schedis essent descriptæ, varie quoque a variis compilatæ, et in ordinem digestæ sunt.*

Audi Isidorum Pelusiotam, lib. I, *epist.* 493 ad *Cyrium*, præfectura insolescentem, paraphrasice hæc explicantem: « Quid superbit terra et cinis? Quid insolenter se gerit labes et corruptela? Quid magnifice de se sentit, ac se effert umbra? Quid te imperii ac præfecturæ insomnium inflat? Quin tu eos cernis, qui turpiter ac fœde diem vitæ extremum claudunt? Quin tu eorum æmulum te præbes, qui probe atque insigniter vixerunt? Verum brevem principatum tanquam sempiternam potentiam arbitraris, ob quam temporis orbis conversus te curabit, præfecturam tuam ad finem impellens, atque æstui tuo terminum imponens. » Audi et S. Bernardum in *Sermoniis*: « Tria hæc semper in mente habeto: Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? sperma fetidum. Quid es? vas stercorum. Quid eris? esca vermium. » Idem in *Meditat.* cap. III: « Quantumque caro excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres quid per os et nares cæterosque corporis meatus egrediatur, vilis sterquilinum nunquam vidisti. Si singulas ejus miserias enumerare velis, quam sit onerata peccatis, irretita vitiiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum, et in omne vitium proclivis: plenam omni confusione et ignominia invenies. Quid ergo superbis, terra et cinis; cujus conceptus culpa, nasci miseria, vivere pœna, mori angustia? Unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori? Cur carnem tuam pretiosius rebus impinguas et adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulcro? Animam vero tuam non adornas bonis operibus, quæ Deo ab angelis ejus præsentanda est in cœlis? Quare animam tuam vilipendis, et ei carnem præponis? Dominam ancillari, et ancillam dominari, magna abusio est. Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest: non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quæ pro anima humana dedit. Sublimius est ergo animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. »

Drogo Hostiensis Episcopus, *serm.* 1 *De Sacram.*

Dominicæ passionis, ante medium, tom. XXI Biblioth. SS. Patrum: « Quid superbis, ait, terra et cinis? subter te sternetur tinea, et operimentum tuum vermis est: hæc tua vestis est; illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus et Domini natalis hostis Herodes, alienis vestibus depositis, in suis vermibus expiraverunt. Redi ad cor tuum tandem aliquando; redi, vetus Adam: vide ubi et quomodo te etiam vestivit novus Adam. Ostendam tibi in corpore ejus ignominias animæ tuæ. »

Denique breviter, sed nervose Origenes homilia 9 in *Ezech.*: « Quid superbit, inquit, terra et cinis, ut homo arrogantia sublevetur, oblitus quid erit, et quam fragili vasculo contineatur, et quibus stercoribus immersus sit, et qualia semper purgamenta de sua carne projiciat? quid enim ait Scriptura: Quid superbit terra et cinis? et in vita ejus projecit interanea ejus? Superbia peccatis omnibus major est, et ipsius diaboli principale peccatum. » Quin et Seneca, *epist.* 91: « Æquat, inquit, omnes cinis: impares nascimur, pares morimur. »

Mystice, cinis in terra est prorsus inutilis; at si calidissimæ aquæ injiciatur, sordes pannorum eluit, eosque dealbat. Cinis est memoria mortis: hæc si aquæ calidæ, id est, ardenti et lacrymosæ compunctioni injiciatur, eluit sordes animæ, præsertim superbiæ; ita remedium inde petendum, unde morbus est ortus, puta remedium superbiæ hominis petendum est ex ipso homine, sicut caro viperæ in theriaca curat morsus viperæ.

10. NIHIL EST INIQUIUS QUAM AMARE PECUNIAM. HIC ENIM (qui eam amat) ET ANIMAM SUAM VENALEM HABET (Græce πωλει, id est facit, quia pro auro vendit animam suam diabolo, uti faciunt magi et sagæ. Aliter et nove legit Tigurina, nimirum, hic enim animam quoque cujusvis exigit; animam, id est vitam, q. d. Avarus cogit multos mori fame): QUONIAM IN VITA SUA PROIECIT INTIMA SUA, — q. d. Avarus exuit omnem humanitatem, ac si se viscera, in quibus est sedes misericordie ob pecuniam abjecisset. Unde S. Augustinu *serm.* 25 *De Verbis Domini*: « Quæ est, ait, ista aviditas concupiscentiæ? cum ipsæ belluæ habeant modum: tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt vero prædæ, cum senserint satietatem: inexplebilis est sola divitum avaritia, semper rapit, et nunquam satiatur; nec timet Deum, nec hominem reveretur; non parcat patri, non matrem agnoscit, non fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Quæ est ista, rogo, animarum insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, perdere cœlum. » Hujus symbolum et exemplum fuit Judas qui, vendendo Christum, vendidit animam suam dæmoni: « Ideoque suspensus crepuit mediis, et diffusa sunt omnia viscera ejus, » *Actor.* 1, 18.

Secundo, D. Thomas II, *Quæst.* CXVIII, art. 5, s. ad. 1, et ex eo Palacius: « Nihil, ait, avaro, ini-

quus, quia ipse non tantum iniquus est in Deum et proximum, sed etiam in seipsum; habet enim animam suam venalem, id est, vitam suam exponit periculis pro pecunia, et ideo subdit: Quoniam in vita projecit intima sua, ut scilicet, pecuniam lucraretur. » Vendit ergo animam, id est vitam, hoc est, vitæ suæ sustentationem, ne expendat pecuniam; itaque in vita sua abiecit intima sua, hoc est, in vita abiecit vitam; non parcat vitæ, et intimis suis, ut pecuniæ parcat. Res mira: nihil est intimius, quam quod homo carnem suam nutriat et foveat; atqui avarus hunc intimum affectum a se pecuniæ causa abiecit, multo magis abiecit affectum omnem erga proximos. Hæc Palacius.

Tertio, S. Augustinus, *tract.* 25 in *Joan.*, hæc refert ad superbiam, et per intima intelligit interiora Christi, cui per humilitatem incorporamur, e quibus per superbiam ejicimur, q. d. Superbus projicit a se viscera Christi, quibus per humilitatem incorporatus erat. Explicans enim illud *Joan.* VI: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*, subdit: « Quid superbit terra et cinis? dicat: Quid superbit? Quoniam in vita sua projecit intima sua? Quid est, projecit, nisi porro jecit? hoc est exire foras. Etenim intrare intro, appetere intima est; projicere intima, foras exire est. Intima projicit superbus, intima appetit humilis: superbia ejicimur, humilitate regredimur. Caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia. » Et paulo post: « Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit et humilis factus est Filius Dei. Quid superbis, homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, et humilis factus est. Præcipitur tibi ut sis humilis, non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo, tu homo cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me; hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei. Ideo qui ad me venerit, non ejiciam foras. Quare? Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Humilis veni, humilitatem docere veni. Qui ad me venit, incorporatur mihi; qui ad me venit, humilis fit; qui mihi adhæret, humilis erit: quia non facit voluntatem suam, sed Dei; et ideo non ejicietur foras, quia cum superbus esset, ejectus est foras. »

Mem, lib. VI *De Musica*, cap. XIII: « Non potuit melius demonstrari quid sit superbia, quam in eo quod dictum est: Quid superbit terra et cinis? Quoniam in vita sua projecit intima sua. Cum enim anima per seipsam nihil sit; non enim aliter esset commutabilis, et pateretur defectum ab

essentia. Cum ergo ipsa per se nihil sit, quidquid autem illi esse est, a Deo sit, in ordine suo manens ipsius Dei præsentia vegetatur in mente atque conscientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quando vero superbia intumescit, hoc illi est in extima progredi, et, ut ita dicam, inanescere, hoc est minus minusque esse. Progredi autem in extima, quid est aliud, quam intima projicere, id est, longe a se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu? » Sic et Syrus hæc refert ad pœnam superbiæ, sed per intima accipit latera, quæ ob ulcera aliosque morbos incidit medicus; sic enim vertit: *Quid superbit terra et cinis? in cujus vita vermes serpunt, latera ejus et interiora ejus medicus scindit;* et Arabicus: *Cinis, eo quo serpit vermis in vita ejus, et projicit medicus latus ejus, et intestinum ipsius.*

Audi S. Chrysostomum occasione Judæ in avaritiam detonantem, et hanc Siracidis sententiam explicantem *hom.* 81 in *Matth.*: « Pessimissima omnium hæc passio (avaritia) est; hinc sepulcorum violatores, hinc homicidæ, hinc bella et pugna, hinc alia quam plurima mala oriuntur. Ubique certe avarus inutilis est, nec ad imperandum exeroitui, nec ut præsit populo, commodus. Cur dico in rebus publicis, cum in privatis etiam inutilis sit? Si uxor ducenda est, non probam, sed impudentissimam omnium pro pecunia eligit. Si domus emenda, non eam, quæ homini libero conveniat, emet, sed quæ pluris posset locari. Si servi, et quid aliud comparandum est, vilissimum semper inquiret. Quid minoram percurro? Si regnum orbis invaserit, cæteris omnibus miserior tamen est atque pauperior, terrarum pestis, urbium pernicies, singulorum calamitas: non enim quæ cæterorum sunt quasi sua tutatur, sed veluti unus ex multis omnia rapit, pauciora putans cæteris omnibus habere. Nam cum cupiditati eorum quæ nondum possedit, ea quæ habet, confert; nihil ea quæ habet, præ illis esse opinatur. » Deinde citans hunc Siracidis locum, subdit: « Propterea quidam ait nihil esse avaro iniquius. Qui avarus est, etiam seipsum perdit: avarus communis omnium hominum hostis: avarus non parum dolet, quia terra pro spiciis aurum non producit, quia fontes non manant auro, quia montes loco lapidum aurum non habent. Avarus fertilitatem temporum moleste fert, et communi felicitate contrahitur, omnemque fastidit causam unde argentum colligere non potest: e regione vero cuncta suffert, unde ver duos solummodo capere obolo possit; omnes homines, tam pauperes, quam divites odio prosequitur: pauperes, ne quid ab eo petant; divites, quia quæ illorum sunt, non possidet; universos enim simpliciter, quæ sua esse deberent occupare putat, ac ideo quasi ab omnibus læsus, omnibus infensus est. »

Legit Interpres *ἑβρόφω*, id est *projecit*; et recte. Jam Græca variant: nam Romana legunt *ἑβρόφω*,